

pertum habeat. Sin igitur nunc illa separare conetur, quomodo, obsecro, illa iterum conjunget, vt vnitum compositum verumque subjectum, iterum efficiat, si elementorum quantitatem & qualitatem, rectæque vnitio- nis modum, penitus ignoret? Separari itaque illa minime oportet, nisi rite iterum conjungantur: Tibi, Naturæ, il- lud committendum est, quæ artem bene disponendi, Philosophicæ lapidis componendi, & rectæ elementorum, absque separatione, mixtionis faciundæ, probe no- sti. Satis superque mihi dixti, quod elementorum separa- tio, eorumdemque iterata conjunctio minus fiet neces- saria: nulla siquidem istiusmodi ars impetranda, & dum- taxat tibi à Deo concreditum constitutumque est my- sterium. Absque omni dubio tamen lapis, vel Elixir, à te proficiscitur, absque tamen elementorum separatione, nec sine tuis instrumentis, vel auxilio sapientis rei; istius periti alicujus hominis. Aristoteles ait: Vbi desinit phy- sicus, ibi incipit Medicus. Quocirca etiam Alchimia tum incipit, quando naturam & scientiam suam sequi- tur: id quod cuilibet Philosopho ac Medico probe ob- seruandum est. Si enim Alchimia recte ducatur, tunc na- tura illam proferet. Ne quis autem heic erret, iccirco omne illud, quod natura parit & profert, quædam, ad Al- chimiam pertinens, est materia, quemadmodum tu, Na- tura, qui tibi & corpore, & ipsa quoque vita mea inserui- re paratus sum, multo, quam ego, nosti melius. Sciendum quoque est præterea, quod videlicet Alchimia tres res perficiat: Primo dum metallum aliquod perfectum vi- uumque facit, eiusdemque spiritum digerit, vt nihil in eo amittatur, quemadmodum eius rei ipsa experientia te-